MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

AUTHOR:

SAUPPE, HERMANN

TITLE:

COMMENTATIO DE INSCRIPTIONE...

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

[1858]

Master Negative #

93-81319-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Sauppe, Hermann, 1809-1893.
... Commentatio de inscriptione panathenaica.
Gottingae, Officina academica Dieterichiana,
[1858]
11 p. 27 cm.


Index scholarum, Göttingen, 1858.


Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4.23.93 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM


Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202





MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

INDEX
SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE AESTIVUM

ANNI MDCCCLVIII.

A DIE XV. M. APRILIS USQUE AD DIEM XV. M. AUGUSTI

HABENDARUM.



Praemissa est Hermanni Sauppii commentatio de inscriptione panathenaica.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

(GUIL. FR. KAESTNER.)

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
GEORGIUS WAITZ D.
CUM SENATU.

Alexander Rizos Rangabé, vir illustrissimus, antiquitatum graecarum volumine altero a. 1855 Athenis edito de literis antiquis egregie meruit. Quo volumine cum permulti tituli gravissimi contineantur, tum haud scio an nulli gravitate cedat, quem nongentesimum sexagesimum esse voluit (p. 667 sqq.). Pertinet vero hacc inscriptio ad praemia victoribus data Panathenaeorum magnorum ac quanquam eam a K. S. Pittaki iam ante hos viginti annos editam (ἐφημερ. ἀρχαιολ. 1839, 136 p. 167 sq.) A. Boeckhius plus semel commemoravit (de oecon. publ. Athen. 1 p. 61. 106. 300) et O. Iahnius in libro de vasis pinacothecae monacensis p. CII paucis omissis versibus repetendam curavit, tamen parum videtur cognita esse nec quanti pretii esset satis intellectum. Quare et gratum multis neque inutile his literis futurum existimo, cum hac scriptionis academicae opportunitate usus de gravitate illius tituli breviter exposuero. Inscriptio haec est:

A.

Παιδὶ στά]διον νικῶντι
𐅄 ἐλαί]ου ἀμφο[ρῆς,
Δ δευτέρῳ.
Παιδὶ πένταθλον νικῶντι
Δ]ΔΔ ἀμφορῆς ἐλαίου,
ΠΙ δευτέρῳ.
Παιδὶ παλαιστῇ νικῶντι
ΔΔΔ ἀμφορῆς ἐλαίου,
ΠΙ δευτέρῳ.
Παιδὶ πύκτῃ νικῶντι
ΔΔΔ ἀμφορεῖς ἐλαίου,
ΠΙ δευτέρῳ.
Παιδὶ παγκράτιον νικῶντι
Δ]ΔΔΔ ἀμφορῆς ἐλαίου,
ΠΙΙΙ δευτέρῳ.
Ἀγενείῳ στάδιον νικῶντι
𐅄Δ ἀμφορῆς ἐλαίου,
ΔΙΙ δευτέρῳ.
Ἀγενείῳ πένταθλον νικῶντι
ΔΔΔΔ ἀμφορῆς ἐλαίου,
ΠΙΙ[Ι] δευτέρῳ.
Ἀγενείῳ παλαιστῇ νικῶντι

B.

δευ]τέρῳ.
Ἵππων πωλικῷ ζεύγει
ΔΔΔΔ ἀμφορῆς ἐλαίου,
ΠΙΙΙ δευτέρῳ.
Ἵππων ζεύγει ἀδηφάγῳ
ΗΔΔΔΔ ἀμφορεῖς ἐλαίου,
ΔΔΔΔ δευτέρῳ.
Πολεμιστηρίοις·
ἵππῳ κέλητι νικῶντι
ΔΠΙ ἀμφορῆς ἐλαίου,
ΙΙΙΙ δευτέρῳ.
ἵππων ζεύγει νικῶντι
ΔΔΔ ἀμφορῆς ἐλαίου,
ΠΙ δευτέρῳ.
Ζεύγει πομπικῷ νικῶντι
ΙΙΙ ἀμφορῆς ἐλαίου,
ΙΙ δευτέρῳ.
Ἀφ' ἵππου ἀκοντίζοντι
Π ἀμφορῆς ἐλαίου,
Ι δευτέρῳ.
Νικητήρια·
Η παισὶμ πυρριχισταῖ[ς] βοῦς.
Η ἀγενείοις πυρριχισταῖς βοῦς.
Η ἀνδράσι πυρριχισταῖ[ς] βοῦς.

A.

ΔΔ[ΔΔ] ἀμφορῆς ἐλαίου,
[ΠΙΙΙ] δευτέρῳ.
Ἀγενείῳ] πύκτῃ νικῶντι
ΔΔΔΔ ἀμφορῆς ἐλ]αίου,
[ΠΙΙΙ δευτέρῳ].
Ἀγενείῳ παγκράτιον νι]κῶντι
[ΔΔ ἀμφορῆς ἐλαίου,]
[Δ δευτέρῳ].

B.

Η εὐανδρίᾳ φυλῇ νικώσῃ βοῦς,
Η φυλῇ νικώσῃ βοῦς.
ΔΔΔ λαμπαδηφόρῳ νικῶντι ὑδ[ρία.
Νικητήρια νεῶν ἁμίλλης·
ΗΗΗ τῇ φυλῇ τῇ νικώσῃ.
ΗΗ εἰς ἑστίασιν.
ΗΗ τι

Et ab initio et in fine utriusque columnae quaedam deesse apparet. Quae uncis inclusa sunt, Rangabé addidit: nam A v. 30 typothetae errori ΔΙΙ tribuendum esse versio francogallica ostendit. Aetatis vero quanquam in iis, quae scripta sunt, indicium non inest, tamen et formae literarum et rationes orthographicae inscriptionem non ita multo post Euclidis annum scriptam esse arguunt: ΕΛΑΙΟ enim constanter omnibus locis tenetur, ΠΑΛΑΙΣΤΕΙ A v. 6 et 22 legitur, ΠΥΚΤΕΙ A v. 10, ΙΠΠΟ B v. 18, ΝΙΚΩΣΕΙ B v. 25. Adde quod ἀμφορῆς A, 5. 8. 14. 17. 20. 23. B, 3. 10. 13. 16. 19 legitur. Quare multo antiquior est omnibus iis, quas ad ludos panathenaicos referendas esse homines docti intellexerunt, C. I. 1590 et 1591, tertia Fr. Peyssonelii ab A. Boeckhio in annalibus inst. archaeol. vol. 1 p. 156 sqq. edita, quarta L. Rossii ab I. Franzio in diurnis lit. halens. 1835. relation. archaeolog. 32 p. 258 sq., quinta olim ab A. Boeckhio in diurn. lit. halens. l. d. p. 269 sqq. et nuper ab A. R. Rangabé antiqu. gr. 2, 962 p. 674 sqq. publicata, sexta et septima a K. S. Pittaki Athen. ant. p. 106 sqq. et a R. Rangabé l. d. 963. 964, p. 686 sqq. editis. Quas omnes non ante saeculum alterum a. Chr. n. scriptas esse hominum tempora in iis commemoratorum ostendunt. Cum vero Pindari (N. 10, 33: ἀδεῖαί γε μὲν ἀμβολάδαν ἐν τελεταῖς δὶς Ἀθαναίων μιν ὀμφαὶ κώμασαν· γαίᾳ δὲ καυθείσᾳ πυρὶ καρπὸς ἐλαίας ἔμολεν Ἥρας τὸν εὐάνορα λαὸν ἐν ἀγγέων ἕρκεσιν παμποικίλοις), Aristotelis (Schol. Soph. OEC. 701: ὁ δὲ Ἀριστοτέλης καὶ τοῖς νικήσασι τὰ Παναθήναια ἐλαίου τοῦ ἐκ μοριῶν γινομένου δίδοσθαί φησι: quae cum Didymi esse videantur, ad eundem auctorem referenda esse patet, quae in schol. Aristoph. Nub. 1001 et apud Suid. s. v. μόριαι leguntur), Luciani (Anach. 9: παρ' ἡμῖν δὲ τοῖς Παναθηναίοις τὸ ἔλαιον τὸ ἐκ τῆς μορίας) — cum his, inquam, testimoniis constaret oleum arborum sacrarum Minervae iis, qui in Panathenaeis vicissent, datum esse, tantam tamen amphorum multitudinem distributam esse nemo cogitaverat. Nam cum hunc titulum non iam integrum esse, sed haud pauca periisse appareat, de qua re infra dicemus, amphorum omnium, quae distribuerentur, summam mille ducentis non minorem fuisse nemo facile negaverit. Ex quo numero O. Iahnius l. d. recte dixit perspicue nunc intelligi, quo praemium contineri existimaretur, non amphoras, sed oleum ipsum fuisse. Deinde cum maximam vim olei Athenis exportatam esse, victoribus vero panathenaicis liberam exportationem concessam fuisse A. Boeckhius oecon. publ. Athen. 1 p. 61 docuerit, in hac ingenti vasorum panathenaicorum multitudine non iam est cur miremur, quod non

tantum in Atticae finibus ipsius, sed etiam in Italia, Sicilia, Chersoneso taurica haud exiguus eorum numerus etiam nostris temporibus et inventus est et invenitur.

Ad aliud veniamus. Nam cum multa titulo ad integritatem deesse ipsa forma ostendat, tum comparatio similium, quos supra commemoravi, titulorum idem docet. Ac primum in gymnicis certaminibus deesse ea patet, quibus viri inter se committebantur. Quos in titulis C. I. 1591, tertio Peyssonelii, quinto Boeckhii, sexto Rangabis post pueros et imberbes commemoratos esse intelligimus eodemque ordine tres certantium aetates recensentur a Platone Leg. 8 p. 833. C: τριττὰ δὲ ταῦτα ἀθλήματα διανοηθῶμεν, ἓν μὲν παιδικόν, ἓν δὲ ἀγενείων, ἓν δὲ ἀνδρῶν. et a Schol. Platonis p. 329 Bk. (quae eadem apud Photium lex. p. 375, 24 et Suidam 2, 2 p. 42, 14 B. habentur): καὶ ἀγωνίζεται παῖς ισθμια (ισθμικου Phot. ις' ἐτῶν Rangabé p. 679 probabiliter coniecit legendum esse) οὐ πρεσβύτερος καὶ ἀγένειος καὶ ἀνήρ. et a Pausania 6. 14, 3. cf. Boeckh. C. I. vol. 1 p. 355. Quare etiam in titulo, quem tractamus, cum pueros praecedere, sequi imberbes videamus, virorum certamina non in summa columna A, sed in extrema descripta fuisse intelligimus. Sed plura virorum fuisse, quam puerorum et imberbium, persuadet eorundem, quos supra recensui, titulorum comparatio, in quibus pro stadio puerorum et imberbium virorum δόλιχος, στάδιον, δίαυλος recensentur: quae certaminum genera cum antiquissima esse constet, etiam in hac inscriptione commemorata fuisse verisimillimum est. Atque ludos equestres quoque complures in summa columna B periisse probabile est, sed quinam illi fuerint in summa eorum, quos similes tituli habent, varietate certo definiri non potest. Neque hoc nunc ago, ut haec genera certaminum omnia per singula eundo tractem, sed de duabus rebus monendum esse existimo. Primum πολεμιστηρίοις, quod B v. 8 legitur, ad versus 9—14 ita pertinere intelligimus, ut duo certamina, alterum equo vehendi, alterum quadrigas regendi, bellica dicantur. ἵππος κέλης πολεμιστήριος is est, quem alii simpliciter πολεμιστήριον vel πολεμιστὴν nominant, ut Xen. π. ἱππ. 3 §. 7: ἐπεὶ δὲ πολεμιστήριον ἵππον ὑπεθέμεθα ὠνεῖσθαι, ληπτέον πεῖραν ἁπάντων, ὅσων περ καὶ ὁ πόλεμος πεῖραν λαμβάνει. Demosth. 42 §. 24: ἀποδόμενος τὸν πολεμιστήριον ἵππον καταβέβηκεν ἀπὸ τῶν ἵππων. Photius lex. p. 438, 6: πολεμιστὴς ἵππος· οὐχ, ὡς ἄν τις οἰηθείη, ὁ εἰς τοὺς πολέμους ἐπιτήδειος, ἀλλ' ὁ ἐν τοῖς ἀγῶσι σχῆμα φέρων ὡς εἰς πόλεμον εὐτρεπισμένος· ἦν γὰρ τοιοῦτον ἀγώνισμα. Quadrigarum vero bellicarum certamen etiam in titulis Peyssonelii v. 58 (ἅρματι πολεμιστηρίῳ) et Rossii v. 22 commemoratur, ita ut in illius v. 64 et in huius v. 30 etiam συνωρίδι πολεμιστηρίᾳ sequatur. Haec igitur sunt τὰ πολεμιστήρια, quorum quot cursus sint Phidippides Aristophanis Nub. 28 somnians sciscitatur: πόσους δρόμους ἐλᾷ τὰ πολεμιστήρια; Neque enim ἀγωνίσματα vel ἁμιλλήματα casu accusativo cogitanda sunt, ut Phidippides de Philone tanquam absente queratur, quod exemplis, qualia sunt νικᾶν Ὀλύμπια, similia, defendi non potest, sed ἅρματα nominativo casu intelligenda esse Fritzschius ind. lect. Rostoch. 1834 p. 2 optime intellexit. Alterum, de quo monere volebam, est

B v. 5: *ἵππων ζεύγει ἀδηφάγῳ.* Nam cum Paralum et Salaminiam (cf. fragm. orat. Graec. p. 188) a Lysia *τριήρεις ἀδηφάγους* nominatas esse Harpocratio p. 5, 12 dicat ad similitudinem *τῶν ἵππων τῶν τελείων καὶ ἀγωνιστῶν, οἵτινες εἰώθασιν „ἔδμεναι ἄδδην" κατὰ τὸν ποιητήν* (Homer. Il. 5, 203), intelligimus *ἀδηφάγον ζεῦγος* id antiquis temporibus nominatum esse, quod in titulis saepius comparatis *ζεῦγος τέλειον* dici solet. Qua re quae de aetate inscriptionis diximus satis confirmantur.

Aliud, quod huius tituli testimonio efficitur, ad ordinem pertinet, quo varia certaminum genera Panathenaeorum festis diebus se excepisse existimanda sunt. Nam quae inde a versu B. 21 recensentur, *νικητήρια*, qua re differunt a praemiis antea commemoratis? An illa victoribus data non sunt? At cum in prioribus certaminum generibus homines singuli de victoria decertarent, sibi laudes et praemia quaererent, in iis, quae a v. 22 enumerantur, cives a phylis singulis publice constituti vel choris pyrrhichistarum summa diligentia conquisitis exercitis ornatis vel adolescentibus in gymnasiis ad lampadas rite gestandas institutis vel triremibus remigum ministerio optimorum instructis et magnifice apparatis committebantur. Victoriae honore et praemiis non ipsi, sed phylae decorabantur ac si quid ad ipsos etiam laudis redundaret, id eo continebatur, quod sua liberalitate atque diligentia effecerant, ut phylae suae victoria contingeret. Etiam praemia igitur diversa erant. Nam cum priora ita comparata essent, ut oleo vendito ad laudem victoriae etiam lucrum accederet, quo victores ipsi potirentur, *νικητήρια* victori vel, ut verius dicam, iis, quorum opera coniuncta victoria reportata erat, ipsis nihil praeter honorem laudemque commodi atque lucri afferebant, sed eo consilio data sunt, ut diis, quibus victrix phyle iique, quorum in certamine partes fuerant, cum grati testificatione animi religiose operabantur, publice offerrentur. Verissima enim Boeckhii est sententia (oecon. publ. Ath. 1 p. 106) centenas drachmas ab initio versuum positas pretium fuisse censentis, quo boves victoribus dandi emerentur. Similiter triginta drachmis (v. 27) hydria (ita enim ante R. Rangabem iam Boeckhius l. d. legendum esse viderat) lampadephoro victori data constitisse existimanda est et trecentae v. 29 commemoratae pretium trium boum videntur effecisse, quos phyle in navali certamine victrix acciperet. An hanc summam ita numeratam esse existimabimus, ut curatores phylae victricis ipsi iis compararent omnia, quae ad sollenne sacrificium vel Minervae vel Neptuno vel utrisque offerendum pertinere viderentur? Recte igitur priora illa praemia *νικητηρίοις* opposita *ἆθλα* arctiore sensu dicta fuisse coniicias. Musicorum vero certaminum eandem rationem atque gymnicorum equestriumque fuisse, nisi quod victor praeter oleum etiam coronam oleagineam auream accipiebat, titulus Rangabis 961 luculenter docet (cf. Boeckh. oecon. publ. Ath. 1 p. 299). Quodsi certaminum, quorum victoribus *ἆθλα* proposita erant, enumeratio B v. 21 finitur, non tantum illud intelligimus, ludos gymnicos equestribus certaminibus antecessisse, sed etiam hoc necessario sequitur, ut musica certamina ante gymnica instituta esse perspiciamus. Ac cum illud etiam reliqui tituli panathenaici, de quibus supra dixi, ostendant, posterius huius

demum tituli testimonio constat. Recte igitur de hac re statuit M. Meierus (encyclop. haleus. III, 10 p. 286. 288), cum Car. Hoffmann (Panathenaikos p. 52 sq.) et H. A. Müller (Panathen. p. 79) dubium esse negavissent, quin musica post gymnica habita essent. Is vero ordo, quem legitimum fuisse nunc perspicimus, ad ea convenientissimus est, quae de feriarum panathenaicarum sollennibus temporum decursu sensim sensimque adauctis tradita esse animadvertimus. Nam cum pompam splendidissimam *τρίτῃ τοῦ Ἑκατομβαιῶνος ἀπιόντος*, die Minervae sacro (Herm. antiq. sacr. Graec. §. 44, 5), ductam esse Proclus ad Pl. Timaeum p. 9, 14 et schol. Platon. p. 395 Bk. tradant, ac post pompam certamina institui non potuisse homines docti dudum intellexerint (cf. H. A. Müller l. d. p. 45 sq. Meier l. d. p. 279), certaminum apparet ordinem contrarium fuisse temporum ei, quo ea primum instituta esse memoria proditum est. Nam Erichthonius, primus Panathenaeorum vel Athenaeorum auctor, equestria certamina instituisse dicebatur (cf. C. O. Müller encycl. hal. 3, 10 p. 87. Boeckh. ad marm. parii ep. 10 v. 17 p. 313), gymnicos Hippoclide archonte Ol. 53, 3 additos esse verisimile est (C. O. Müller l. d. p. 85. Schultz appar. crit. ad annal. crit. p. 13 et 29), rhapsodorum certamina Pisistratum, musica reliqua Periclem addidisse certum est. Cum igitur dies feriarum postremus proferri non posset, ii, qui certaminum numerum augere vellent, nova post vetera addere non poterant, sed ea diebus, qui ante vetera essent, institui necesse fuit.

Per quot dies vero feriae panathenaicae celebratae sint, ne nunc quidem iudicari potest. Quatuor quidem dies, quem numerum M. Meiero l. d. p. 279 placuisse videmus, tantae sollennium multitudini non suffecisse facile est ad intelligendum. Accedit enim, quod sollennia diversis locis celebrata esse constat. Nam cum gymnica et equestria certamina, antequam Lycurgus orator stadium panathenaicum splendidissimum condidit, in pago Echelidarum habita esse Stephanus Byz. s. *Ἐχελίδαι· ἐν ᾧ τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας ἐτίθεσαν τοῖς Παναθηναίοις·* et Hesychius: *ἐν Ἐχελιδῶν· ἐν ᾧ ἱππικοὶ ἤγοντο ἀγῶνες·* et Etymol. Magn. *ἐν Ἐχελιδῶν· τόπος Ἀθήνησι, σταδίων ὀκτώ, ἐν ᾧ αἱ ἱπποδρομίαι·* certum faciant, ad navalia vero certamina ad maris oram descensum esse infra intellecturi simus, musica Athenis in Odeo instituta esse et eos, qui lampadas ferrent, ex Academia in urbem cucurrisse constat. Etiamsi igitur duodecim dierum numerus, quem C. Hoffmann l. d. p. 53 sq. et H. A. Müller l. d. p. 46 sqq. commendare studuerunt, nimius esse videtur, sex tamen dies festos ad minimum fuisse concedendum est, ut feriae panathenaicae dierum pariter numero atque sollennium splendore Dionysia magna aequarent, quae per sex dies festos celebrata esse Plautus fidem facit Pseuduli 1. 3, 87. Sed ad aliud veniamus, cuius notitia inscriptioni, de qua dicimus, debetur Nam cum alium aliis victoribus numerum amphorum tributum esse videamus, ex hac ipsa diversitate intelligi potest, quae genera certaminum Athenienses maiorem vel difficultatem vel dignitatem habere iudicaverint. Ac cur stadii victoribus maiora praemia quam reliquorum certaminum gymnicorum proposuerint, facile est ad intelligendum, sed mira est praemiorum

exiguitas bellicorum victoribus certaminum concessorum, comparata illa cum praemio eorum, qui ἵππων ζεύγει ἀδηφάγῳ vicissent. Quod fortasse explicari ex eo potest, quod Athenienses equos bellicos, etiamsi haec certamina non essent, alendos esse a possessoribus cogitabant, maximos vero sumtus, qui in equis illis ἀδηφάγοις nutriendis et exercendis fierent, splendori et magnificentiae dierum Minervae festorum augendis unice inservire considerabant.

Sed reliquum est, ut de duobus certaminibus in hac inscriptione commemoratis accuratius dicam, quorum alterum num Panathenaeis institutum esset homines docti multi dubitaverunt, de altero nemo ne cogitavit quidem. Ac primum de versibus B. 25. 26 dicendum est: 25 H EYANΔPIAI ΦYΛHI NIKΩΣEI BOYΣ, 26 H ΦYΛHI NIKΩΣHI BOYΣ. Quae apud scriptores de hoc certamine reperiuntur, haec sunt. Harpocratio p. 88, 3: εὐανδρία· Δείναρχος ἐν τῷ κατ' Ἀγασικλέους. Παναθηναίοις εὐανδρίας ἀγὼν ἤγετο. Ἀνδοκίδης τ' ἐν τῷ κατ' Ἀλκιβιάδου δηλοῖ καὶ Φιλόχορος. Ex quo Photius lex. p. 25, 10 et Suidas 1, 2 p. 580, 10 B. sua derivarunt. Ad eundem Dinarchi locum videntur etiam ea pertinuisse, quae in Bekkeri anecd. p. 257, 13 leguntur: εὐανδρία· ἀγών τις εὐανδρίας τοῖς Παναθηναίοις ἀγόμενος, οὗ κοινωνεῖν οὐκ ἐξῆν τοῖς ξένοις. Cf. fragm. or. atticor. p. 332. Deinde Socrates apud Xenophontem Commentar. 3. 3, 12 ait: ἢ τόδε οὐκ ἐντεθύμησαι, ὡς ὅταν γε χορὸς εἷς ἐκ τῆσδε τῆς πόλεως γίγνηται, ὥσπερ ὁ εἰς Δῆλον πεμπόμενος, οὐδεὶς ἄλλοθεν οὐδαμόθεν τούτῳ ἐφάμιλλος γίγνεται, οὐδὲ εὐανδρία ἐν ἄλλῃ πόλει ὁμοία τῇ ἐνθάδε συνάγεται; Ἀληθῆ λέγεις, ἔφη. Ἀλλὰ μὴν οὔτε εὐφωνίᾳ τοσοῦτον διαφέρουσιν Ἀθηναῖοι τῶν ἄλλων οὔτε σωμάτων μεγέθει καὶ ῥώμῃ, ὅσον φιλοτιμίᾳ. quorum in postremis ut εὐφωνία ad chorum deliacum pertinet, sic σωμάτων μέγεθος καὶ ῥώμη ad εὐανδρίαν referenda esse patet: neque enim recte hunc locum interpretatus est Th. Bergkius comment. de com. att. reliqu. p. 41. Andocides personatus, quem Harpocratio testatur, §. 42 haec habet: καίτοι τυγχάνω νενικηκὼς εὐανδρίᾳ καὶ λαμπάδι καὶ τραγῳδοῖς. Denique etiam quae Athenaeus 13 p. 565. F dicit: ἐπαινῶ δὲ καὶ αὐτὸ τὸ κάλλος. καὶ γὰρ ἐν ταῖς εὐανδρίαις τοὺς καλλίστους ἐγκρίνουσι καὶ τούτους πρωτοφορεῖν ἐπιτρέπουσιν. de certamine illo videntur intelligenda esse. Titulus igitur, quem tractamus, ostendit recte ab Harpocratione hoc certamen ad Panathenaea referri, de qua re cum M. Meier l. d. p. 281 dubitavisset, postea comment. quintae de Andocidis quae vulgo fertur oratione contra Alcibiadem p. 117 bene explicavit, εὐανδρίαν videri pariter atque gymnasiarchorum et choregorum munera liturgiam fuisse, quam qui suscepisset, eum agmen venustissimorum tribulium suorum colligere iisque vestitum et ornatum pulcherrimum suppeditare debuisse, quod vero agmen venustissimum arbitris certaminis visum esset, ei victoriam tributam esse. Neque tamen recte ille de venustate tantum cogitavit: nam Xenophontis verba demonstrant Athenienses etiam in hac re pulcritudinem sine magnitudine et firmitate corporis nullam esse iudicavisse, quam sententiam Graecos constanter tenuisse nota res est: cf. C. Keil onomatol. graec. p. 21. Winckelm. ad Plat. Euthyd. p. 5. C. F.

Herm. de studiis artif. graec. p. 61. Ne illud quidem Meiero concedo falsam esse H. Valesii sententiam, qui ad Harpocr. l. d. p. 257 Dindf. ductus maxime nisi fallor Athenaei loco, quo πτορθοφορεῖν scribi voluit, cum hoc εὐανδρίας certamine senum memoriam pulchritudine insignium coniungendam esse dixit, quos in pompa Panathenaeorum splendidissima ramos oleagineos gestasse compluribus testimoniis constat. Sic Xenoph. Conviv. 4, 17 ait: θαλλοφόρους γὰρ τῇ Ἀθηνᾷ τοὺς καλοὺς γέροντας ἐκλέγονται, ὡς συμπαρομαρτοῦντος πάσῃ ἡλικίᾳ τοῦ κάλλους. quo loco Iuncus de senect. usus est apud Stob. Floril. 115, 26 p. 425 Gsf.: μάλιστα δὲ ἐν τοῖς ἱεροῖς θύοντες ἐστεφανωμένοι περιβλεπτότεροι τῶν ἱερῶν (leg. ἱερέων) γίγνονται, ὅ τε νόμος αὐτοὺς ἐκείνους χειροτονεῖ τῇ Ἀθηνᾷ. ὥς φησι Ξενοφῶν ὁ φιλόσοφος, θαλλοφόρους. Schol. Aristoph. Vesp. 544: θαλλοφόροι γὰρ ἔφη (Aristophanes), βουλόμενος τοὺς γέροντας δηλῶσαι, ἐπειδὴ ἐν τοῖς Παναθηναίοις οἱ γέροντες θαλλοὺς ἔχοντες ἐπόμπευον. ὡς οὖν εἰς οὐδὲν ὄντων χρησίμων αὐτῶν ἔξω τοῦ θαλλοφορεῖν οὕτως αὐτοὺς ἐπέσκωψεν. ὁ μέντοι Δικαίαρχος ἐν τῷ Παναθηναικῷ οὐκ οἶδα ἐξ ὅτου ποτὲ καὶ τὰς γραῦς ἐν τοῖς Παναθηναίοις ὑπείληφε θαλλοφορεῖν, πολλῶν ἀλλήλοις ὁμολογούντων περὶ τοῦ μόνους τοὺς πρεσβύτας θαλλοφορεῖν, Ξενοφῶντος μὲν ἐν τῷ Συμποσίῳ, Φιλοχόρου δὲ ἐν τῇ β'. ὅς γε καὶ τὸν καταδόντα (l. παραδόντα cum Meinekio com. gr. 2 p. 33) τὸ ἔθος Ἐριχθόνιον συνίστησι. μνημονεύει τοῦ ἔθους Κρατῖνος μὲν ἐν Δηλιάσι, Φερεκράτης δὲ ἐν Ἐπιλήσμονι. Verissima igitur videtur Valesii sententia esse: nam cum Panathenaeorum festis diebus et in εὐανδρίας certamine pulcritudinem virorum spectatam esse et senes, qui pulcritudine eum honorem nacti essent, ramos oleae gestasse viderimus, victores vero certaminum omnium, quibus feriae deae illustratae essent, in pompa solemni apparuisse summam veritatis speciem habere videatur, necessitate quadam adigimur, ut senes eos, qui pulcritudine sua locum in pompa invenirent, in pulcritudinis certamine illis ipsis diebus instituto victores fuisse credamus. Ac victorum εὐανδρίας partes quasdam in re sacra fuisse Athenaei locus aperte demonstrat, sive πτορθοφορεῖν Valesio sive ῥοδοφορεῖν A. Lobeckio Aglaoph. p. 1025 sive κροκωτοφορεῖν C. L. Struvio apud Lobeck. l. d. p. 1358 sive κρωσσοφορεῖν A. Meinekio (philol. exercit. in Athen. 2 p. 28) credimus legendum esse. Deinde quod Meierus εὐανδρίας certamen ad ἄνδρας tantum pertinere potuisse existimat, id parum valere inde apparet, quod εὐανδρίαν haud raro felicem non virorum, sed hominum proventum in universum esse intelligimus. Cf. locos a Tib. Hemsterhusio ad Harpocr. l. d. p. 256 Ddf. collectos. Ne id quidem videtur omittendum esse, quod utriusque memoria instituti ad Philochorum refertur. Sed longius progredimur, ut εὐανδρίας certamen etiam ad adolescentes pertinuisse coniiciamus. Nam cum a Dinarcho in oratione contra Agasiclem εὐανδρίαν commemoratam fuisse supra cognoverimus, Harpocratio p. 167, 8 haec tradit: σκαφηφόροι· Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Ἀγασικλέους φησίν· οἱ ἀντὶ σκαφηφόρων ἔφηβοι εἰς τὴν ἀκρόπολιν ἀναβήσονται, οὐχ ὑμῖν ἔχοντες χάριν τῆς πολιτείας, ἀλλὰ τῷ τούτου ἀργυρίῳ. ἀντὶ τοῦ μέτοικοι· οὗτοι γὰρ ἐσκαφηφόρουν Ἀθήνησιν. Haec duo videntur inter se cohaerere,

ut Dinarchus adolescentes quosdam peregrinos praeter ius fasque ad *εὐανδρίας* certamen admissum iri atque ita in pompa panathenaica locum inter ephebos athenienses inventuros esse dixerit, nam vasorum illam gestationem ad Panathenaeorum tantum pompam pertinuisse notissimum est. Ita demum, si duo agmina eorum, qui de pulcritudine certarent, seniorum et iuniorum, fuisse statuimus, intelligi potest, quomodo in titulo, de quo disputamus, bis scribi potuerit *φυλῇ νικώσῃ βοῦς*. Victores utriusque agminis ad pompam admittebantur, senes ramos oleagineos gestantes, viri armis gravibus instructi (cl. Thucyd. 6, 56), adolescentes vel sua arma vel nescio quid aliud gestantes. Neque vero quidquam illi senes, qui ramos oleagineos gestarent, cum re rustica commune habebant, id quod nuper admodum C. Bötticher de arborum cultu apud Graecos p. 432 sibi invenisse visus est. Sed ille verba scholii aristophanei ad Vesp. 544 parum intellexit. Nam duae in illo explicationes loci aristophanei commemorantur, altera eorum, qui, collato Homeri loco (Odyss. 17, 224) *θαλλόν τ' ἐρίφοισι φορῆναι*, senes per irrisionem *θαλλοφόρους* dici existimarent, quod ruri nihil nisi talia curare possent, altera, qua Aristophanes ad senes pompae panathenaicae respexisse dicitur. Non magis quidquam haec *θαλλοφορία* Panathenaeorum cum *εἰρεσιώνῃ* Pyanepsiorum commune habebat, quod et Th. Bergkius de com. att. reliqu. p. 41 et nuper C. Boetticher l. d. p. 432 et 436 voluerunt. Ac ne illud quidem Boettichero credo ramos illos a moriis Academiae sumtos esse, quarum numerum duodenarium quomodo tandem cum duodecim numero tribuum coniungere potuit (p. 435) anno demum 307 a. Chr. n. orto? Me quidem nondum poenitet eius coniecturae, quam in nuntiis soc. liter. saxon. 1853 p. 37 proposui, in inscriptionis brecnsis alterius v. 11 sq. legendum esse *βοῦν δὲ καὶ π[ρόβατα πέντε ἄ]γειν ἐς Παναθήναια τὰ μεγάλα [θεωροῦντας μετ]ὰ θαλλῶν*. ita ut hos ramos deinde a senibus in pompa gestatos esse existimem.

Sed veniendum est ad v. 28: ΝΙΚΗΤΗΡΙΑ ΝΕΩΝ ΑΜΙΛΛΗΣ. Certamen navale hic intelligendum esse, *νεῶν ἅμιλλαν*, neque vero *νέων ἅμιλλαν*, *concours de jeunes gens*, quod R. Rangabes voluit, non est difficile ad demonstrandum. Neque enim adolescentes, qui ita ad certamina committuntur, *νέοι* dicuntur neque cur phylae victrici tanta summa tribueretur intelligi posset. Navale certamen vero Panathenaeis institutum esse quanquam adhuc ignotum fuit, tamen non est quod miremur. In arctissima enim Minervae et Neptuni coniunctione consentaneum fuit et mori in re sacra facienda a Graecis recepto maxime conveniens, ut in feriis Minervae splendidissimis etiam Neptuno sacra offerrentur. Ad hoc ipsum certamen Platonis versus apparet referendos esse a Plutarcho Them. c. 32 servatos (Meinek. com. gr. 2 p. 679):

ὁ σὸς δὲ τύμβος ἐν καλῷ κεχωσμένος
τοῖς ἐμπόροις πρόσρησις ἔσται πανταχοῦ
τούς τ' ἐκπλέοντας εἰσπλέοντάς τ' ὄψεται
χὠπόταν ἅμιλλ' ᾖ τῶν νεῶν θεάσεται.

quo testimonio etiam id efficitur, ut prope Piraeeum certatum esse intelligamus. Cf. de Themistoclis sepulcro ad Alcimi promontorium sito M. Leakius top. Athen. p. 270 sq. Aliud certamen navale ad Sunium promontorium instituebatur, Lysia teste 21 §. 5 *νενίκηκα δὲ τριήρει μὲν ἁμιλλώμενος ἐπὶ Σουνίῳ, ἀναλώσας πεντεκαίδεκα μνᾶς*. Id videtur quinto quoque anno factum esse: nam postquam F. G. Schoemannus (opusc. 1 p. 315) apud Herodotum 6, 87 felicissime vidit *καὶ ἦν γὰρ δή τοῖσι Ἀθηναίοισι πεντετηρὶς ἐπὶ Σουνίῳ, λοχήσαντες ὦν τὴν θεωρίδα νῆα εἷλον πλήρεα ἀνδρῶν τῶν πρώτων* legendum esse, cum in codd. nullo sensu *πεντήρης* legeretur (cf. A. Boeckh. de tit. naval. p. 76), quinto quoque anno ferias Neptuni magno apparatu Sunii celebratas esse intelligimus, in quo promontorio Neptunum sanctissime cultum esse constat. Navis vero illa sacra non dubium est quin ea sit, quae in titulis navalibus Boeckhii 2, 30 commemoratur: *Σουνιὰς καινὴ ἀνεπικλήρωτος* (cf. p. 91). Constanter vero certamina navalia *ἁμίλλας* dici videmus: cf. praeter locos commemoratos Thucyd. 6, 32: *καὶ ἐπὶ κέρως τὸ πρῶτον ἐκπλεύσαντες ἅμιλλαν ἤδη μέχρι Αἰγίνης ἐποιήσαντο*. Xen. Hellen. 6. 2, 28: *ἐπεὶ δ' ἐπιστρέψας ἂν καὶ ἀντιπρώρους καταστήσας τὰς τριήρεις ἀπὸ σημείου ἀφίει* (Iphicrates) *ἀνθαμιλλᾶσθαι εἰς τὴν γῆν, μέγα δὴ νικητήριον ἦν τὸ πρώτους καὶ ὕδωρ λαβεῖν καὶ εἴ του ἄλλου ἐδέοντο*. Isocr. Euag. §. 1: *ὁρῶν, ὦ Νικόκλεις, τιμῶντά σε τὸν τάφον τοῦ πατρὸς — ἵππων τε καὶ τριήρων ἁμίλλαις*. Etiam *Ἅμιλλα* navis in Boeckhii tit. nav. 2, 16. 19 eodem referenda est. Sed redeo ad inscriptionem. Epulae, quae v. 30 commemorantur, cum certamine navali videntur coniunctae fuisse, ad oram maris illae apparatae: nam de opulentissimis illis Panathenaeorum epulis, ad quas cives omnes pompa deducta vocabantur, hic cogitari non posse exiguitas summae persuadet. V. 31 recte fortasse R. Rangabé *τῇ θυσίᾳ* scriptum fuisse coniecit, nam a phyle victrici Neptuno post victoriam litatum esse verisimillimum est. Sed mirum tamen est, quod sacrificium post epulas commemoratur.

Haec fuerunt, quae de inscriptione gravissima dicenda viderentur. Iam vero etiam vobis, Commilitones humanissimi, proposito hoc uberrimo scholarum indice certamina indicimus, multo illa graviora iis, de quibus diximus. Neque enim de praemiis quibusdam exiguis, sed de summis et sanctissimis vitae humanae bonis certabitis, ad veram vos libertatem animorum eruditionis studio accuratissimae et veritatis amore integerrimo enitemini, quid volueritis, quid effeceritis, animi vestri conscientia severe aliquando iudicabit. Agite ergo, strenue accingimini et fortiter perseverate.

Gottingae d. XVI. m. Febr. a. MDCCCLVIII.

RECITATIONES ORDINARIAE.

ORDINIS THEOLOGORUM.

J. G. REICHE, Dr., 1) h. XI—XII quinquies per hebd. *Isagogen in libros N. T. canonicos historico-criticam* tradet; 2) publice h. III—IV diebus Lunae et Martis *quatuor evangeliorum capita, quae de passione, morte et resurrectione Domini nostri Jesu Christi agunt*, explicabit.

FRIDERICUS EHRENFEUCHTER, Dr., publice *Regii Seminarii homiletici* exercitationes moderabitur die Saturni h. X—XII, item publice *exercitationes catecheticas* more sueto moderari perget. Privatim *Encyclopaediam theologiae* docebit quater hora XI — XII. dieb. Lun. Mart. Jov. et Vener. *Theologiae practicae* partem alteram tradet i. e. Liturgicen, Homileticen et doctrinam de cura animarum quater dieb. Lun. Mart. Jov. Vener. III—IV.

J. A. DORNER, Dr., *Ethicen christianam* sexies h. XII tradet, *Theologiam N. T.* seu Vitam doctrinamque Domini nostri Jesu Christi cum doctrinae typis qui in N. T. exstant, quinq. h. IV enarrabit. *Societatem theologicam* moderari perget die Merc. h. VIII—X vesp.

J. G. LUDOVICUS DUNCKER, Dr., privatim *Historiae ecclesiasticae partem priorem* tradet sexies p. hebd. hora VIII — IX. Scholas suas semestri hiberno habitas de *Historiae ecclesiasticae parte posteriore* senis et de *Historia dogmatum* ternis lectionibus horis audituris commodis continuabit. *Societatem theologicam* moderari perget.

L. F. SCHOEBERLEIN, Dr., publice *exercitationes liturgicas* sodalium Seminarii practico-theologici moderabitur die Sat. h. IX—X, et una cum Hille, Mus. Dir. Acad., *cantum ecclesiasticum* eos docebit die Merc. VI — VII; privatim *Dogmatices christianae partem priorem* quater p. hebd. dieb. Lun. Mart. Jov. et Vener. h. XII — I tradet; *Epistolas catholicas* dieb. Lun. et Mart. h. V—VI interpretabitur. Praeterea *Societatem theologicam* instituet.

FRIDER. GODOF. RETTIG, Ph. Dr., Generalis princip. Gotting. Superintendens, *artis catecheticae praecepta*, duce libello suo, quater per hebdom. hora X tradet; publice *exercitationes catecheticas* sueto more et hora commilitonibus commoda moderari perget.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

GEO. JUL. RIBBENTROP, Dr., *Pandectas* docebit hora IX — X et XI—XII; publice diebus Martis, Jovis et Veneris hora XII—I *doctrinam de servitutibus et pignoribus* tradet.

GUIL. THEOD. KRAUT, Dr., *Jus Germanicum privatum cum feudorum et mercaturae jure* ex quarta libri sui (Grundriss zu Vorlesungen über das deutsche Privatrecht, nebst beigefügten Quellen. Gött. 1855) editione sexies per hebdomadem h. VII—VIII et IX—X adjunctis *theoretico-practicis exercitationibus* una auditoribus commoda hora tradet.

GUIL. FRANCKE, Dr., h. VIII —IX doctrinam *juris Romani de hereditatibus*, h. XI—XII *Institutiones juris Romani* tradet.

H. A. ZACHARIAE, Dr., tradet: *Jus publicum Germaniae* sexies per hebd. h. XII; *Theoriam processus criminalis*, recentiorum legum, quae in Germania de reformando publicorum judiciorum ordine latae sunt, praecipue *Codicis regni Hannoverani* peculiari ratione habita, quinquies per hebdom. h. X; *Encyclopaediam juris*, quater per hebd. h. IX.

H. CAROL. BRIEGLEB, Dr., h. XI—XII quater per hebd. collegium *processuale practicum*, h. V—VI ter per hebd. *relatorium* instituet.

AEMIL. HERRMANN, Dr., *Jus criminale* senis lectionibus h. X, *Jus ecclesiasticum* quinis h. XI, *juris philosophiam* quaternis h. IV docebit. *Selecta juris criminalis capita* bis per hebd. publice exponet.

HENRICUS THÖL, Dr., mandatu publico unus eorum, qui de legibus rei mercatoriae germanicis deliberant, scholas non habebit.

ORDINIS MEDICORUM.

JO. GUIL. HENR. CONRADI, Dr., privatim h. V *Pathologiam generalem* ex VI compendii sui editione, publice dieb. Jov. et Ven. h. V Institutiones *Therapiae generalis* ex compendio suo tradet.

C. F. H. MARX, Dr., h. IX—X diebus Lunae, Martis et Mercurii *Pathologiam et Therapiam generalem*; diebus Jovis et Veneris *praecipua et scitu dignissima capita Historiae medicinae literariae*; h. III—IV doctrinam de *Remediorum effectibus atque usu*, necnon *artem formulas medicas concinnandi* quinquies per hebd. tradet.

ED. C. J. de SIEBOLD, Dr., h. VI matut. quat. p. h. *Artis obstetriciae* doctrinam exponet simulque auditoribus aditum ad *partus observandos* praebebit. *Cursum operationum* cum *observat. partuum* conjunctum h. III vel aliis horis commodis instituet. *Clinicen obstetric.* h. III moderari perget.

F. WÖHLER, Dr., h. IX—X sexies per hebd. *Chemiam* tradet. In laboratorio academico *Praxin chemicam* docebit.

A. A. BERTHOLD, Dr., *Physiologiam generalem et specialem cum Embryologia* h. X—XI docebit. *Historiam naturalem et Zoologiam* h. V—VI tradet. — Si qui horis publicis III—V, quibus die Martis et Veneris Museum academicum patet, accuratiorem speciminum zoologicorum in Museo exstantium notitiam desiderabunt, sua officia offert. — *Exercitationes systematicas zoologicas* in seminario phys. mathem. moderari perget.

RUDOLPHUS WAGNER, Dr., *physiologiam experimentalem* quater per hebd. dieb. Lunae Martis Mercur. et Jovis hor. X—XI; *physiologiam generationis* et *historiam evolutionis* bis per hebd. dieb. Vener. et Sat. hor. X—XI demonstrabit. *Exercitationes practicas microscopicas, zootomicas* et *physiologicas* in instituto physiologico una cum Dr. Keferstein moderari perget.

GUIL. BAUM, Dr., publice *de ossibus fractis et luxatis disseret* die Ven. et Saturni h. II; privatim *de oculorum auriumque morbis* quater per hebd. h. II; *Chirurgiae partem priorem* tradet quinquies h. IV et

die Saturni h. III. *Exercitationes clinicas et policlinicas chirurgicas et ophthalmiatricas* in nosocomio Ernesto-Augustano diriget quotidie h. IX. *Exercitationes operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum* in theatro anatomico quoties cadavera aderunt diriget h. VI vesp.

